

list. philos.
62.

Hist. Philol. 15

~~Agg. crit. 53~~
H. Phil. 339 2

IOANN GOTTFRIED
SCHAVMBURG

PROF. JVR. ORDIN. ET CONS. AVL. SAXON.

DE

PHILOSOPHIA
VETERVM

IVRIS CONSVLTORVM
STOICA

DISSERIT

ET

SPECIMEN TERTIVM


EXEMPLA JCTORVM STOICORVM
TEMPORE REIPVPLICAЕ ROMANORVM
LIBERAE

PLENA MANV EXHIBENS
PROLVSIONIS ACADEMICAE

INSTAR

LECTIONIBVS HIBERNIS
PRAEMITTIT

IENAE d. xxx. SEPTEMBR. c1515 ccxli




IENAE
AERE MARGGRAFIANO.



3

TO AME GOT FRIED
SOHAWMAYNG
DOKTOR DER ORDNUNG
DE
PHELOSOPHIA
VETERVM
LITIS CONSULTORVM
STOGA
DISSENT

EXAMEN TERTIVM
TEMPORIS REPUBLICAE ROMANORVM
LITERAE
PROPOSITIONES ACADEMICAE
IN
LITTERIS HUMANIS
PRAESENTAT



IN
ALRE MARGRAPHATO

8



**PHILOSOPHIAE
ICTORVM ROMANORVM
STOICAE**

SPECIMEN TERTIVM

EXEMPLA ICTORVM STOICORVM TEM-
PORE REIPUBLICAE LIBERAE
EXHIBENS

CONSPECTVS

ICTi juxta seriem temporis distinguuntur, §. I. ICTi in libera Republica omnes fuere Stoici, § II. Sigillatim P. Rutilius Rufus, § III. Q. Aelius Tubero & Sextus Pompeius. §. IV. Q. Mucius Scaevola, §. V. Caius Aquilius Gallus §. VI. L. Lucilius Balbus §. VII Servius Sulpicius § VIII. Aulus Ofilius §. VIII. Alfenus Varus §. X. Aulus Cassellius §. XI C. Trebatius Testa §. XII.

§. I.

§. I.

Icti juxta se-
riem tempo-
ris distin-
guuntur.

Amplius hic sese offert dicendi campus, atque uber-
rima progerminat rerum seges, dum praesens ag-
gredimur argumentum, dignum omnino, ut pro
gravitate et utilitate, a qua sese commendat, accurate ex-
plicetur. Cui instituto, sicuti haud parum adjumenti affer-
re videtur, si Ictos, tempore Reipublicae liberae, doctrina et
eruditionis varietate claros, distinguamus ab iis, qui sub
Imperatoribus floruerunt; ita, ad priores, quod attinet,
opus non est, ut ultra istam aetatem ascendamus, quae Ro-
manorum animos, sapientiam discendi cupiditate inflam-
mavit, quaeque Philosophiae magistris liberum ad urbem
Romam aditum concessit. Licet enim antiquos illos Juris
prudentiae Antistites melioris ordinis causa ita dispescere
soleant rerum periti, ut primas teneant, qui post latas
Leges XII. Tabularum inclaruere usque ad Ciceronis aeta-
tem, his vero proximi sint, qui paulo ante Ciceronem,
vel cum eo, sub Julio Caesare usque ad Augusti imperi-
um, vixerunt; illos tamen, vita solum Philosophiam pro-
fessos, et a peculiari Philosophorum secta non institutos
eo lubentius praeterimus, quo minorem ista, de horum
sapientia, cuius nulla in corpore Juris extant vestigia, dis-
quisitio Jurisprudenciae Justinianae utilitatem promittit.
Imo, cum Tribonianus, totus in eo occupatus, ut sua ex
Ictis, unius imperio faventibus, desumeret, reliquos fere
omnes, qui Sectas antecesserunt, ideo magni non fece-
rit, ut ex eorum lucubrationibus fragmentorum copiam
collectioni suae infereret; id ipsum nobis videtur facere
otium, ne multum desudemus in Philosophia istorum
Ictorum indicanda, qui tempora Ciceronis illustriora red-
diderunt. Attamen, ne horum memoriam, et sapien-
tiam

tiam silentio plane involvamus, hoc unicum urget, quod quaedam, licet pauca, quorundam, ex maximo eorum numero, in Triboniani Compilatione, fragmenta comparent, non nisi ex intimis Philosophiæ præceptis explicanda, quodque insuper posterioris ævi Jurisprudentes plus simplici vice testimonium denuntiant RUTILIO, TUBERONI, SCAEVOLAE, GALLO, BALBO, SERVIO, aliisque primæ notæ Jure Consultis, & in horum auctoritate acquiescunt. Ut itaque in tuto collocemus veritatem, vix unum ex Jure Consultis, quamcunque ætatem spectes, a Stoicorum dogmatibus fuisse alienum, ordiamur a primis Panaetii Stoici discipulis, iisque addamus reliquos, qui sequiori ætate summam ex juris scientia nominis gloriam adepti sunt, ita rem omnem disposituri, ut ex his antecedant, qui utilia se reddiderunt liberæ Reipublicæ instrumenta, deinde sequantur, qui ab Augusto ad tempora Antonini Pii nomina sua fecerunt immortalia, denique agmen claudant, qui post hunc ad Gordianum usque, sub qua ipsa Jurisprudencia cessim & retro collapsa erat, jus civile accessionibus suis auxerunt.

§. II.

Revertimur itaque ad Jure Consultos, a quibus digressi sumus, ad eos, nempe, qui in libera Republica floruerunt paululum ante, quam unius imperium agnoscerent Romani. Hos omnes vero, nemine excepto, Stoicorum Philosophorum castra secutos esse, asserere non dubito. Cuius sententiæ unicam quidem, sed, si recte divino, sufficientem hanc habeo causam, quod ista ætate Romanis vix alia, quam Stoica sapientia, innotuit, cum populo, tum Jctis perquam grata; quoniam & Reipublicæ populari optime conveniebat, et studio civilis sapientiæ fere unica accommodata erat. Nec opus est, ut

Jcti in libera
Republica
omnes fuisse
Stoici

hoc pluribus demonstrarem, postquam in prioribus meditationibus dudum evici, et primam, et omnibus Romanis charam, fuisse Zenonis familiam, ex ea vero egressum Panaetium juventuti Romanae adeo mirifice placuisse, ut principes postea viri ab ejus ore pependerint, qui, vix dubitarent, quin Stoicorum praecepta Jctis sequioris aetatis, qui et ipsi ex Stoicorum Philosophis sibi praeceptores, familiares, et comites elegerunt, religiose commendarent. Ea enim est mortalium indoles, eorum certe, qui jure quodam ingeniis formandis operam dare solent, ut, quae ab aliis accepta vera credunt, quaeque arti, quam profitentur, utilitatem afferre, sentiunt, non sibi solis didicisse velint, sed eo potius studiose enitantur, ut apparatus scientiae, quam sibi compararunt, aliis, vel institutioni suae commissis, vel alia ratione discendi desiderio flagrantibus, aut saltem audiendi molestiam ferre paratis, quam primum innotescat. Quod, quocumque demum modo perficiant, neminem tamen, qui suppellectilem suam literariam cum aliis communicare constituit, ab hac intentione alienum esse credo, ut vel veritatem, quam perspectam habere autumat, animis aliorum insinuet, vel eos erroris, quo inconsiderate delectatur, participes reddat, verbo; ut reliquos mortales vel volentes vel invitos in assensum trahat, hoc ipso autem, quae didicit, tradiditque, ab oblivione vindicet. Quae, cum ita sint, id etiam me facile impetraturum confido, admodum verisimile esse, veteres Jctos, a Panaetio primum instructos, praecepta Stoicorum ad Jurisprudentiam mox attulisse, eorumque vim auditoribus suis cum ipsa iuris arte exposuisse; hos vero jucunditatem et utilitatem inde perceptam denuo summis elogiis eum in finem concelebrasse, ut discipuli quoque non leve Stoicorum scholas Juris studio-

fo

so spondere emolumentum, tempeſtively diſcerent. Cum vero & hi exemplo præceptorum ſcientiam ſuam immortalitati commendare non ignorarent, fieri non poterat, quin omnibus Jure Conſultis veteribus ſola Stoicorum familia videretur digna, quam amicam ſibi redderent et benevolam,

III.

Judicemus vero ex iſtis exemplis, et collatis undique testimoniis, Stoicam Jctorum veterum indolem. Ad quæ, antequam accedo, eſt, quod moneam, primo, me hic loci Jctos Stoicæ indolis per indicem tantum enumeraturum, juris argumenta vero, ad quæ principia ſua accommodarunt, tractationi ſpeciali reſervaturum, deinde, me eorum ſolum Jctorum rationem habiturum, qui ſapientiæ laude præ aliis inclaruerunt, quorumque ſententias in Juris Civilis corpore conſervatas eſſe deprehendimus. De reliquis, ne ſollicitus ſim, ſatis cauſæ eſt. Nam vel nomine ſolum cogniti ſunt; vel ſcripta eorum obſcura fama recondidit; vel plus eloquentiæ, quam juris ſcientiæ, operam dederunt; vel denique, poſt tantam ſcriptorum jacturam, certi quid de eorum Philoſophia definire non poſſumus. Cæterum tamen, ex rationibus paſſim allatis haud difficulter colligi poſſe, exiſtimo, hos æque ac illos, quos ſigillatim in medium producam, Stoicam magis, quam aliam quamcunque, ſapientiam in deliciis habuiſſe, nihilque ideo rationis eſſe, cur opinionem hanc prius deſeram, quam contrarium quis dilucide probaverit. Sed ad rem. Prodeat itaque primo RUTILIUS RUFVS, cui inter præclaros Jctos locum aſſignat Pomponius in L. II. § XL D. de Origin. Jur. Hunc enim, Stoicorum præceptis innutritum, vita quoque ſua Stoicum Philoſophum profeſſum eſſe, clara, quæ in Scriptoribus anti-

Sigillatim Rutilius Rufus

antiquis occurrunt, testimonia dubitare non sinunt. Generatim eum, Philosophiæ deditum, laudat CICERO *de orator. Lib. I.* Sigillatim eidem Panætium præceptorem assignat *Lib. III de Offic. cap. II.* tanti quippe a Rutilio æstimatum, ut hic reliquis omnibus aptitudinem deesse crederet, ea, quæ Panætius non absolvisset, perficiendi. Posidonium enim retulisse, scribit Cicero; *Publium Rutilium Rufum dicere solitum fuisse, ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret, sic ea, quæ Panætius prætermisisset, et non perfecisset, propter eorum, quæ perfecisset, præstantiam, neminem esse persecutum.* Hac vero erga Præceptorem veneratione, quotidiana insuper accedente industria, eius saluberrima recte concoquendi monita, Rutilius id, quod anxie optabat, demum effecit, ut prope perfectus in stoicis esset, auctore TULLIO *in Bruto cap. XXX.* Exemplo esse potest Viri sapientis gravissima in rebus adversis constantia, et nunquam perturbata animi magnitudo, qua instructus, ipsum exilium, quod, ambitus crimine ini- que accusatus, & majori injustitia damnatus, subire debebat, teste CICERONE *Lib. II. de Orator.* fortiter tulit, oblatam vero iterum a Sylla civitatem viriliter repudiavit. Qua de re OVIDIUS *de Ponto Lib. I. Eleg. IV.* ita canit:

Et grave magnanimi robur mirare RUTILI,

Non usi redivus conditione dati.

Smyrna virum tenuit - - -

SENECA vero, obfirmatum ejus animum magni faciens in *tractat. de providentia cap. III.* exclamat: *Infelix est Rutilius, quod, qui illum damnaverunt, causam dicent omnibus seculis? quod æquiori animo passus est, se patriæ eripi, quam sibi exilium.* Nec tamen in eo solum verum egit Philosophum, ut animum excelsum, et ad omnes temporum vici-

vici-

vicissitudines ferendas paratum, ostenderet. *Ordinum enim magis dissensione, quam sua culpa, reus factus, nec obsoletam vestem induit, nec insignia senatoris deposuit, nec supplices ad genua iudicum manus tetendit, nec dixit quicquam splendore praeceptorum annorum humiliter; Effecitque, ut periculum illud non impedimentum gravitatis ejus esset, sed experimentum,* verba sunt VALERII MAXIMI Lib. VI. cap. VI. n. 4. sed tanta ejusdem semper fuit, tamque excellens virtus, ut, neque inimicitiis commotus, a vero iustoque deflecteret, neque amicorum blanditiis corruptus, aliquid inhonesti committeret VALER. MAXIM. d. I. Quapropter Rutilium cum GRAVINA de ort. et progress. Jur. Civil. §. LVI. jure meritoque togatum & Consularem Socratem dixeris, Conf. VALER. MAXIM. Lib. II. cap. X. n. 2. add. JOH. SAMVEL HERING. de Stoic. Veter. Roman. Jurispr. in Collectione Schlevogt. p. m. 452.

§. VI.

Ad Q. AELIVM TUBERONEM accedo, Stoicum iterum Jure Consultum primi ordinis. De hoc, quod ex Porticu egressus sit, POMPONIVS in leg. cit. fidem interponit, dum eum disertis verbis Stoicum appellat. Nec quicquam impedit, ne fidem Pomponii, utut alias in pertexenda Ictorum historia non una vice vacillantem, hoc in argumento sequamur, quoniam non GELLIUS solum auctor est, Tuberonem Stoicas et Dialecticas disciplinas percalluisse Lib. I. Noct. Attic. cap. XXII. sed CICERO etiam in Bruto cap. XXXI eum inter Stoicos Philosophos refert. Ita hic: *Et quoniam Stoicorum facta est mentio, ait, Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, vita severus, et congruens cum ea disciplina, quam colebat. Maluit enim in frugalitate et continentia gloriam quaerere, quam honorum concupiscentia et splendoris vanitate seductus, a*

B

no-

Q. Aelius Tubero

Q. Aelius Tubero

virtutis recto tramite aberrare. Quocirca, cum a Q. Fabio Maximo, epulum populo, nomine P. Africani, patui sui, paraturo, rogatus esset, ut triclinium sterneret; lectulos Punicanos pellibus hædinis stravit, et pro argenteis vasis Samia exposuit. *Hac vero deformitate, ut refert VALERIUS MAXIMVS Lib. VII. cap. V. sic omnes offendit, ut cum alioqui vir egregius haberetur, comitiisque prætoriiis candidatus in campum descendisset, repulsa inde notatus abiit, adde CICERONEM pro Muræna.* Didicit autem sapientiam a Panætio, non a Pansa, quem erronee admodum Pomponius substituit, personas & tempora maxime confundens. Pansa enim magistro usus est ille Servii gener, Tubero, cuius mentio fit in *d. L. II. §. XLVI. de Origin. Jur.* vide GOTHOFREDVM ad d. l. & BYNKERSHOEKIVM in *Prætermiff. ad Pompon. Oper. T. II. p. 50.* Nostrum vero ex Panættii schola sapientiæ retulisse fructus, non incommode deducitur ex verbis CICERONIS, qui, *Est enim non magnus, inquit, verum aureolus, et ut Tuberoni Panætius præcipit, ad verbum ediscendus libellus, in Lucullo cap. XLIV.* Sive enim vocem præcipere hic accipias pro jubere, sive monitionem comprehendere existimes, utroque tamen casu statuas, necesse est, multum valuisse auctoritatem Panættii apud Tuberonem, huncque illius vel discipulum, vel certe affectam, fuisse, maxime, cum adeo impense eum amaverit Panætius, ut de dolore patiendo integram illi mitteret epistolam, auctore CICERONE *de finib. bon. et mal. Lib. IV. cap. 9.* Quod autem de Tuberone evicimus, Stoicum Jure Consultum eum fuisse, id de SEXTO etiam POMPEJO, Cnei Pompeji Magni patruo, ut asseramus, veritas rei urget. Hunc enim, quem TULLIVS *Lib. I. de orat.* hominem eruditum in Philosophia dixerat, non summa solum, juris scientia,

Sextum Pompejus

entia, sed Stoicæ quoque Philosophiæ notitia inclaruisse, idem TULLIVS scribit in *Bruto cap. XLVII* cujus verba sunt: *Sextus frater ejus, (locutus erat in proxime præcedentibus de Cneo Pompejo, Sexti f.) præstantissimum ingenium contulerat ad summam juris civilis, et ad perfectam Geometriæ & stoicarum verum scientiam.* Quam, utrum sibi ex Panætii Schola comparaverit, certo quidem definire non possum, vero tamen omnino simile credo, eum vel ab ore summi hujus Philosophi pependisse, vel minimum Posidonium audivisse, quem ipse Pompejus Magnus tanti faciebat, ut eum visendi causa Rhodum proficisceretur, & ad limina accedens, percuti de more fores a litore vetaret, fascesquæ januæ submitteret, vid. CICE-RO *Tusculan. Lib. II. cap. XXV.* STRABO *Lib. XI. p. 492.*

§. V.

Prodeat nunc magnum illud atque excellens ingenium, Q. MUCIVS SCAEVOLA, quem Stoica sapientia delectatum esse, rerum monumenta loquuntur. Cum vero maxima iterum personarum confusio in variis Scævolis apud Pomponium occurrat, ceu Interpretes ad *d. L. II. de origine Jur.* observant, operæ est pretium, ut prius dispiciamus, quis sit ille Scævola, quem antea nominavi, idque eo magis, quo clarius B. HEINECCIUS in *Orat. de C. Aquillio Gallo* evicit, hoc Muciis quasi a natura datum fuisse, ut juris scientia præcellerent omnibus, idque familiæ suæ decus, tanquam proprium et gentile bonum, diutissime tuerentur. Sigillatim vero ex hac gente quatuor celebrantur Jcti incomparabiles, primo Q. MUCIVS Augur, Q. Mucii Prætoris filius, quem legum clarissimum et disertissimum vatem appellat VALERIUS MAXIMUS *Lib. VIII. cap. XII.* Deinde P. MUCIVS Pontifex Maximus, P. Mutii Filius, qui cum Manlio et Bruto jus civile fundavit,

Q. Mucius
Scævola

juxta *L. II. §. XXXIX. de origin. Jur.* Tum *P. LICINIUS MUCIANVS*, *Publii Pontificis frater naturalis a P. Licinio Crasso adoptatus, juris peritorum disertissimus* vocatus *d. L. II. §. XL. de orig. Jur.* Denique *Q. MUCIVS*, *Pontifex Maximus, Publii Filius, cujus mentio fit in L. II. §. XLI. D. Eod.* Et hic idem ille est, qui non iuris scientia solum, sed Stoica etiam doctrina mirum in modum excelluit. *Hominem eum vocat CICERO de orator. Lib. I. cap. XXXIX. et in Bruto cap. XXXIX. disciplina juris civilis eruditissimum, ingenio prudentiatque acutissimum, oratione maxime limatum et subtilem, juris peritorum eloquentissimum, eloquentium juris peritissimum. Maximum legum interpretem eundem appellat MANTUANVS Lib. I. Sylvar. inquit;*
Maximus interpres legum luisse lapillis

SCAEVOLA marratur, curasque fugisse fritillo,
 Mittimus vero hæc et alia summi viri elogia, cujus nomen cautio Muciana æternitati commendavit, de eo potius occupati, ut in medium afferamus ea, quæ Stoicæ sectæ nostrum fuisse addictum, clarius demonstrant. Rem aperte loquitur Crassus apud *CICERONEM de oratore Lib. I. cap. X.* atque Panætium magistrum Scævolæ assignat. A cujus placitis hic, tantum abest, ut postea desciverit, ut gloriæ sibi magis duxerit, ea cum Apollonio conferre, et præceptoris æque ac Stoicæ sapientiæ dignitatem ab irrisionibus defendere. *Hæc, ipse Scævola inquit, auctore TULLIO de oratore Lib. I. cap. XVII. cum ego Prator Rhodum venissem, et cum summo illo Doctore illius disciplina (oratoriæ) Apollonio, ea, quæ a Panatio acceram, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam, multaque non tam graviter dixit, quam facete &c. Quibus testimoniis, cum evidentiora nulla esse possint, plura addere supervacaneum esse judico, et lubens ATHE-
 NÆO*

NAEO subscribo, qui *Lib. VI. Deipnos. cap. XXXI.* Scævolam nostrum inter Stoicos Philosophos numerat.

VI.

Transeo ad reliquos Jure Consultos, qui Stoicis dogmatibus sibi placuerunt, vel quod ea ex ore ipsorum Philosophorum exceperunt, vel a Jure Consultis, Stoicæ indolis, quorum auditores fuere, didicerunt. Ex Quinti Mucii Scævolæ auditoribus Pomponius d. *L. II. §. XLII. de Orig. Jur.* GALLVM nominat AQUILLIVM, LVCILIVM BALBVM, SEXTVM PAPHIRIVM et GAJVM JVVENTIVM. Cum vero de duobus posterioribus certo non constet, num Stoicas disciplinas ad usum deduxerint, licet judicatu haud sit difficile, eos a tramite, in quo præceptor Scævola præibat, non longe recessisse; videamus de prioribus, quos Stoicorum castra non deseruisse, sed amplificasse, evidentissima iterum rerum monumenta testantur. Ad CAIVM enim AQUILLIVM GALLVM, quod attinet, Jctum primi ordinis, cui formulam de dolo malo, stipulationem Aquillianam, posthumos Aquillianos, aliaque, quibus Jurisprudentiam auxit, egregia instituta debemus, quem *hominem prudentem & modestum* CICERO *pro Caccinna cap. XXII. hominem acutum et exercitatum* IDEM *in Bruto cap. XLII. virum maximæ auctoritatis et scientia juris excellentem* VALERIVS MAXIMVS *lib. VIII. cap. II.* appellat; hunc, inquam, magnum Jctum, stoicas disciplinas calluisse, præsertim vero in Dialecticis admodum versatum fuisse, ex hoc certe convincimur momento, quod verborum admodum curiosus studioque, vocum proprietates detegendi, mirum in modum correptus fuit, et ex ipsa verborum significatione decisionum suarum rationem sæpiuscule desumpsit. Confer *L. XVII. §. VI. de action. emti L. XXX. de Legat. I.*

C. Aquilius
Gallus

L. XXXII § I. *de aur. argent.* L. XXXIX. *de statu liber.*
 L. LXXVII. *de Verb. signif.* Eiusmodi enim studia Stoicis
 non ultima fuisse, et supra diximus, et suo loco ulterius
 probabimus. Quamvis autem, quod semel moneo,
 hæc a Dialectices studio desumpta argumenta, non sim-
 pliciter persuadeant, Jctos stoicæ sectæ fuisse deditos,
 tum quod aliæ sectæ eadem studia a se aliena esse haut
 credebant, tum, quod Jcti multiplici ratione cogebantur,
 ut in verborum obscurorum, quibus leges antiquæ plenæ
 erant, vetustatem et vim inquirerent, utut peculiarem
 Philosophorum sectam non profiterentur; ex nimia ta-
 men illa vocum curiositate, quæ nauseam sæpissime ex-
 citat legentibus fragmenta Jurisprudentum, non in-
 epte colligere possumus, Jure Consultos Stoicam famili-
 am fuisse imitatos; quæ in ducendis juxta vocum origi-
 nibus, ac deducendis earum proprietatibus fere ineptie-
 batur, eaque in re reliquas sectas longe post se relinque-
 bat. Cæterum, si præterea legitima adsint indicia, Jc-
 tos vel Stoico Magistro Philosophiam, artemque juris di-
 didisse, vel alia horum sapientum dogmata probasse, eo
 majorem illud a Dialectica petitum argumentum habebit
 persuadendi vim, quo magis vero est simile, Jctos ad
 Stoicæ sapientiæ studium sese accigentes, omnes ejus par-
 tes sibi reddidisse familiares, adeoque Dialecticam etiam
 Stoicam, quam aliam quamcunque, excoluisse. Quic-
 quid sit, de Galli Jcti Philosophia, ubi quæritur, opus
 non est, Dialecticam artem vocare in subsidium, ut Stoi-
 cum eum fuisse appareat. Alia adsunt rei hujus vestigia,
 omnem dubitandi ansam præscindentia, & simul abun-
 de evincentia, Aquillium Stoicorum dogmata ad Juris-
 prudentiam attulisse. Ex quibus unicum hic adduxisse
 sufficiet, in doctrina de dolo malo obvium. Dum enim
 noster

noster dolum malum eum dicit, cum est aliud simulatum, aliud actum, apud TULLIVM *de offic. Lib. III. cap. XIV*; ipsum Antipatrum, Diogenis Babylonii, gravissimi Stoici, discipulum, acutissimum hominem, loqui crederes, qui omnem in pactis simulationem & circumventionem damnat, venditorique legem dicit, ut ne quid omnino, quod ipse nosset, emtor ignoret. Cujus rationem, referente CICERONE, qui *dict. loc.* controversiam ea de re Antipatrum inter & Diogenem ventilatam prosequitur, hanc dedit: *Quid enim est aliud, erranti viam non monstrare, si hoc non est, emtorem pati rueri, & per errorem in maximam fraudem incurvere? plus etiam est, quam viam non monstrare, nam est, scientem in errorem alterum inducere.* Num vero adæquate Gallus rem explicaverit, id ipsam cum reliqua Philosophorum Stoicorum & Jurisconsultorum de dolo malo disceptatione aliis curis reservo. Adeat interim, qui Galli præcipua vita momenta & in Jurisprudentiam merita discere cupit, HEINECCII exquisitissimam Orationem, de hoc Jurisconsulto Francofurti habitam.

VII.

Minor Cajo Aquillio Gallo eloquentia & in respondendo facilitate, sed par doctrina fuit L. LUCILIVS BALBUS. Lucilius Balbus. In illo enim promptam in agendo et in respondendo celeritatem, in hoc vero, ut ut docto homine, in utraque re consideratam tarditatem annotavit CICERO *in Bruto cap. XLII*. Quemadmodum autem utrique communis præceptor contigit, Mucius Stoicus; ita quoque alterum alteri in ediscendis et cum juris arte conjungendis Stoicorum præceptis nequiquam cessisse arbitror. Videnturque ex Lucilia gente oriundi hoc præcipuum habuisse, ut Stoicas disciplinas optime callerent, tantosque in hac Philosophia facerent progressus, ut nemini facile, ne
 ipsis

ipsis quidem illis, qui per omnem vitam Philosophico studio sese dicaverant, primas concederent. Quod, si sigillatim Q. Lucilium Balbum, Lucii fratrem spectes, eo minori dubio subest, quo clarius testatur CICERO *Lib. I. de natura Deorum cap. VI. eum tantos in stoicis habuisse progressus, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur*, quoque magis e re Stoicorum ducit idem Tullius, eundem Lucilium in familiari isto de Diis colloquio constituere advocatum, qui stoica dogmata contra Epicureos et Peripateticos defenderet. Non est itaque, cur nostro Lucilio stoicæ sapientiæ laudes denegemus, merito dolentes, quod scripta huius Jcti cum aliis intercederunt, quodque ideo certo definire non possumus, cui juris articulo Stoicam Philosophiam sigillatim admiscuerit. Adeo enim Balbi gloriosum nomen Tribonianum fugit, ut nihil omnino invenies in hodiernis Jurisprudentiæ antiquæ fragmentis, quod Lucilii esset. Et licet melior Galli Aquilii hac in re fuerit fortuna, quem passim ab aliis juris auctoribus laudari videmus, commune tamen utriusque fuit fatum in eo, ut elegantissimæ eorum lucubrationes Pomponii jam ætate oculos hominum manusque fugerent, quod loquitur POMPONIUS *in d. L. II. § XLII. de orig. Jur. his verbis: omnes hi a Servio Sulpicio nominantur, alioquin per se eorum scripta non talia extant, ut ad ea omnes adpetant. Denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum, sed Servius libros suos complevit, pro cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur.* Cuius rei ratio procul dubio hæc est, quod Servius Sulpicius, utriusque discipulus, animo parum grato plerasque Præceptorum sententias, in libros suos transferebat, eoque efficiebat, ut illorum meditationes ætatem non ferrent, vid. HEINECCII *laud. Orationem de Gallo Aquillio.* VII.

§. VIII.

Ad SERVIVM SVLPICIVM progredior, juris patrii olim non satis curiosum, & a Q. Mutio Scævola demum, referente Pomponio, (cujus fidem ab objectionibus vindicat Celeberr. EVERARDVS OTTO *in oratione de Servio Sulpicio*) severa objurgatione excitatum, ut quasi e somno revocatus, juri civili unice fere operam daret. Qua in arte, nimiam tarditatem diurna nocturnaue diligentia compensans, mox adeo excelluit, ut ipsum etiam Scævola post se relinqueret. Certatim ideo Veteres auctores elogia conquirunt, quibus Sulpicii doctrinam celebrent, sapientiamque ejus, prudentiam, et juris civilis scientiam in cœlum evehant. GELLIVS eum *Juris Civilis auctorem, virum bene literatum Lib. II. Noct. Attic. cap. X. virum suæ ætatis doctissimum Lib. VI. cap. XII.* vocat. CICERO autem, qui Sulpicii nunquam, nisi cum summa laude, meminit, tanti eum æstimavit, ut *in Bruto Cap. XLI. juris civilis magnum usum et apud Scævola, & apud alios, artem in hoc uno esse* assereret. Sed omnia, quæ ad laudes Servii spectant, præoccupavit OTTO. *d. oratione.* Nos itaque fontem tantæ eruditionis indicabimus, quem alium, quam sapientiæ, Stoicæ sigillatim, studium, haut fuisse, pro certo habemus. Servium enim, sive Philosophiæ arcana perveſtigantem, sive juris oracula consulentem, si contempleris, ubique deprehendes, eum Stoico Magistro profecisse. Juris principia, ut addisceret, C. Aquilio Gallo & Lucilio Balbo, utrique Stoico, se tradidit instruendum. *Plurimum eos, POMPONIVS scribit. §. XLIII. L. II. de Orig. Jur. de quibus locuti sumus, audit. Institutus a Balbo Lucilio, instructus autem maxime a Gallo Aquillio.* Vberrimos latissimosque fru-

Servius Sul-
picus.

C

fru-

fructus, quos ex horum schola reportavit, indicat CICERO in *Bruto* cap. XLII. *Quum* Servius Sulpicius discendi causa duobus peritissimis operam dedisset, L. Lucilio Balbo et C. Aquilio Gallo: Galli, hominis acuti et exercitati promptam in agendo et respondendo celeritatem subtilitate diligentiaque superavit; Balbi, docti hominis, in utraque re consideratam tarditatem vicit expediendis; conficiendisque rebus. Sic et habet, quod uterque eorum habuit, et explevit, quod utriusque defuit. Philosophiæ autem scientiam noster debet Diodoro Stoico, qui cum Cicerone vixit et cum eo habitavit TULLIVS Lib. II. *Academ. Quæstion.* Ælio item Stiloni, qui Stoicus esse volebat, IDEM in *Bruto* n. 206. Præprimis autem Posidonio, Stoicorum principi, operam navavit, cuius audiendi gratia Rhodum se contulit IDEM *Tuscul. Quæst. Lib. II. cap. XXV.* Ut ideo omni probabilitatis specie destituatur opinio MINVCHI ad *Ciceron. Lib. IV. Fam. epist. 12.* Sulpicium Paripateticum fuisse, vide OTTONEM d. *Orat. de Sulpicio.* Quemadmodum enim noster, Stoicæ disciplinæ amore, Stoicis, quam aliis, Magistris, utebatur, ita ex ipsa Stoicorum Philosophia ea ad juris artem attulit subsidia, sine quibus neque legum obscuritates tollere, neque istarum efficaciam aliis accurate exponere quisquam valet. Inprimis Dialecticam probe calluit, didicitque artem, quæ docet, rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram exponere interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere, postremo habere regulam, qua falsa & vera judicantur, & quæ quibus positæ sunt, quæque non sunt consequentia. Quam artem, cum & ipsam ex Stoica Philosophia hausisset, ita exercuit, ut morem Stoicorum imitatus, multus plane et nimius in etymologia

VO-

vocum investiganda esset, cujus rei exempla iterum dedit OTTO *dict. Orat.* et nos infra dabimus. Quodsi vero eum verbi proprietates fugeret, quodsi idem in eruenda primæva vocabulorum significatione dubius hæreret, Marci Varronis, summi Grammatici, consilio uti maluit, quam in incertitudine versari, GELLIVS *Lib. II. Noct. Attic. cap. X.* Et hac demum ratione Servius, quod sola juris scientia non effecisset, non principatum solum tenuit inter reliquos Juris Consultos, sed facili quoque negotio sese adduci passus est, ut ex Philosophia Stoicorum Morali nonnulla ad juris artem transferret, quorsum ejus in dolo malo dijudicando opinionem in *L. I. §. I. D. de dol. mal.* commode referri posse existimo, de qua tamen alibi commodior erit dicendi locus.

§. IX.

Admodum fœcunda fuit Servii schola. Decem ex ejus Auditoribus nominat Pomponius in *L. II. §. XLIV. Aulus Gellius de orig. Jur.* Ex his vero nemo tantam sibi auctoritatem conciliavit, quanta excelluerunt Duumviri, AVLVS OFILIVS, & ALVENVS VARVS. Reliquos enim adeo obscura fama recondidit, ut de illis nihil se legisse scripserit RVPERTVS *ad Reines. epist. 60.* Nec frequens eorum in Corpore Juris fit mentio, nisi quod Aufidio Namusæ VLPIANVS in *L. V. §. VII. D. Commodati.* & PAVLVS in *L. II §. VII. D. de aqu. et aqua pluv. arcend.* testimonium denuncient. Singulares autem Ofilii opiniones, variasque ejus cum aliis Jure Consultis controversias non potuit Tribonianus innumeris locis recitare, cum frequentissime reliqui JCTi, ex quorum fragmentis Pandectæ coaluerunt

runt, ad Ofilii auctoritatem recurrant; & Alfenum Varum tanti habuit iste compilationis Justinianæ director, ut quinquaginta quatuor ex ejus libris Digestorum conservaverit fragmenta. Quod vero ad Ofilii Philosophiam attinet, eum a Stoicorum præceptis haut recessisse, indubitata rei adsunt testimonia. Nec opus quidem est, ut causam instruamus argumento a studio verborum petito, cujus tamen curiosa admodum in *L. V. §. I. D. de injur. L. XL. §. I. de condit. & demonstr. L. CCXXXIV. D. de Verb. Signif.* extant exempla. Stoicam indolem satis probat ista Ofilii sententia, qua, Stoicorum paradoxo: Delicta esse paria, sibi placens, partem rei sublata, totius rei furtum fieri, defendit. Cum enim Stoici teste CICERONE *pro Muræna & Lib. IV. Qu. Academ.* omnia delicta exæquarent, eumque, non magis peccare, docerent, qui gallum gallinaceum, quam, qui patrem suffocasset; hac presertim ratione commoti, quod ad animum semper respiciendum sit: fieri non poterat non, quin, idem furtum committi, & ab eo tam graviter delinqui, qui parum & exiguum, quam ab eo, qui multum auferret, arbitrentur. Ita enim Stoicorum de hoc argumento doctrinam exprimit HORATIVUS *lib. I. Epist. XVII. v. 55. sq.*

*Nam de mille fabæ modis, cum surripis unum,
Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto,*

*Nec aliter Ofilius, teste VLPIANO in l. XXI. D. de furt. qui: Vulgaris est questio, inquit, an is, qui ex acervo frumenti modium sustulit, totius rei furtum faciat, an vero ejus tantum, quod abstulit: OFILIVS TOTIVS ACERVI FV-
REM*

REM ESSE PVTAT. Quare Ofilium ad Stoicos Juris Consultos optimo jure referri, per se omnino constat.

§. X.

De ALFENO VARO quid aliud judicemus, quam Alfenus Varus Stoicum eum fuisse Juris Consultum? cum ipse se forex suo prodat indicio. Rerum enim antiquarum, teste GELLIO *lib. VI. cap. V.* non incuriosus, hoc cum Stoicis primo commune habuisse videtur, quod in verbis priscis interpretandis anxie versaretur, cujus rei exemplum retulit GELLIVS *d. l.* Quemadmodum vero alibi demonstrabimus, Stoicos naturalem arboris motum, quodque substantiam suam per nutrimenta attrahat, inter alia dogmata defendisse; unde Jurisconsultorum opinio promanavit, alterius plantam, arborem, crustam, tum tertio acquiri, si in ejus fundo radices egisset, si coaluisset, si unitatem cum ejus terra fecisset; ita sigillatim Alfenus hanc sententiam calculo suo probat, atque diserte in *L. IX. §. II. D. de damn. infect.* tradit: *Ita demum crustam vindicari posse, si non coaluerit, nec unitatem cum terra mea fecerit.* Aliud Stoicæ sapientiæ exemplum occurrit in *L. LXXVI. D. de judic.* Postquam enim Alfenus de nonnullis ex doctrina de corporibus desumptis, (quæ ipsa Stoica sunt, ut suo loco videbimus) verba fecit, mox ad auctoritatem Philosophorum provocat, eorumque verbis non aliter utitur, quam testimonio omni exceptione majore. Ita ait: *Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri, fore, ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuisset, propterea quod, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis nos consisteremus, hæc quotidie*

ex corpore nostro decederent, aliaque extrinsecus in eorum locum accederent. Per Philosophos enim, quos hoc loco citat Varus, eum non alios, quam Stoicos, intelligere, pro certo habeo. Licet enim Viri haud vulgaris doctrinae sibi persuadeant, Epicureorum quoddam dogma in istis verbis latere, qui de atomis, teste CICERONE *lib. I. Qu. Academic.* tradiderunt, effici ex iis, quæque cernuntur omnia, vide GOTHOFREDVM *ad d. leg. SCHILTERI Manud. Philos. Moral. cap. I. §. VII.* vero tamen haut fit simile, Alfenum ex Stoici Juris Consulti Schola egressum, castra Stoicorum deseruisse, & cum Stoicorum infensissimis hostibus, Epicureis, fecisse. Imo cum indubitata adsint indicia, nostrum cum Stoicis eandem de corporibus, de quibus vide *L. XXX. D. de Usucap.* sententiam fovisse, nulla certe probabilitatis specie asseri posse arbitror, voluisse eum Stoicum dogma ex Epicuri præceptis illustrare. Errant itaque, qui in citata lege Epicureismum fingunt, & hac ratione Juris Consulti fragmento lucem quærunt. Idque eo magis, quo certius constat, Stoicum dogma esse, quo Alfenus sibi placet. Audiamus SENECAM, qui *Epist. LVIII.* sic rationatur: *Quaecunque videmus & tangimus, Plato in illis non numerat, quæ esse proprie putat. Flunt enim, & in assidua diminutione atque adjectione sunt. Nemo nostrum idem est in senectute, qui fuit juvenis, nemo est mane, qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore, nihil ex his, quæ videmus, manet. Ego ipse, dum loquor, mutari ista, mutatus sum. Hoc est, quod ait Heraclitus: In idem flumen bis non descendimus.* Quæ, si rite perpendamus, dubium omne tollunt, Platonis, Heracliti, & Stoicorum fuisse hanc opinionem: omne nomen mortem prioris habitus esse.

Qua-

Quare non est, cur sententiam C V J A C I I *Lib. XXVI. Obs. cap. XL.* deseramus, qui Alfenum Stoicis annuerat. Quæ autem ad ipsius dogmatis illustrationem spectare videntur, infra curatius exponamus. Confer interim M E N A G I V M in *Not. ad Laërtium Lib. X. segment. LXVI. p. 463.* & *Programma nostrum ad Lectiones æstivas 1736. invitatorium de Stoica Philosophia L. 76. D. de judic.*

§. XI.

His addo Duumviros A V L V M C A S C E L L I V M & C. Aulus Casce-
lius T R E B A T I V M T E S T A M. Eos, dum inter se & cum O filio comparat P O M P O N I V S in *d. L. II. §. XLV. D. de Orig. Jur.* sic mentem explicat: *Ex his Trebatius peritior Cascellio, Cascellius Trebatio eloquentior fuisse dicitur, Ofilius utroque doctior.* Verum his immorari, & in laudes utriusque excurrere jam non vacat. Utrumque J C t u m maximæ auctoritatis fuisse, noto notius est. Trebatium vero sigillatim Augusto a consiliis fuisse, ubi Codicillis suum constare volebat robur, ex *pr. 3. de Codicill.* discimus. Reliqua lege in G V N D L I N G I I C. *Trebatio Testa ab injuriis liberato*, quem nuperrime *Clav. GOTTLOB AVGVST JENICHEN* recudi fecit. De Cascellio autem consule *G R A V I N A M de ortu & progress. Jur. Civ. n. LXVIII.* Videamus itaque de utriusque Philosophia, quam Stoicam fuisse, asserere non dubitamus. Ut ut enim de Cascellio, eum Stoicorum præcepta calculo suo probasse, in jure Civili testimonia nulla adsint; ipso tamen facto eundem se Stoicum professum esse, jam vidit *EVERARDVS OTTO d. Orat. de Stoic. Veter. Jctor. Philosophia.* Adeo enim obfirmatus fuit ejus animus, ut mores cum Republica mutare

tare nollet, sed sub novo Romanorum servitio veteris libertatis amantissimus & tenacissimus, hujus duo se contra tyrannorum potentiam praesidia habere existimaret, senectutem & orbitatem. *Idem*, inquit VALERIVS MAXIMVS *Lib. VI. cap. II. n. VII. cum multa de temporibus Caesaris liberius eloqueretur, amicique, ne id faceret, monerent: duas res, quae hominibus amarissimae viderentur, magnam sibi licentiam praebere respondit: senectutem & orbitatem.* Hoc vero libertatis spiritu agitatus, honores quoque ab Augusto oblatos constanter recusavit, eoque nomine, quodque praeterea nullius, aut gratia, aut auctoritate, compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas Triumviri dederant, formulam componeret, VALERIO MAXIMO *d. l.* periculose contumax dicitur. Cumque eadem ipsa contumacia, in libidinem Principibus contradicendi degenerans, Stoicis tantum non omnibus sub initio regiminis Monarchici fuerit communis, ceu pluribus testimoniis corroboravit OTTO *d. Orat.* quis Calcellium a Stoicorum partibus stetisse negabit? Confer. de hoc ICTO GELLIVM *Noct. Attic. Lib. II. cap. XVI.* AMMIAN. MARCELLINVM *Histor. Lib. XXX.*

§. XII.

C. Trebatius
Testa

Dum vero C. TREBATIVM TESTAM virum haud vulgaris eruditionis Stoicis annumeramus: alios videmus, nobis contradicentes, ex quibus rursus alii, eum nunquam Stoicum fuisse, sed Epicureum, alii ex Stoico Epicureum factum esse, contendunt. Simpliciter illum Epicureis accensent GASSENDVS *de vit. & mor. Epicur. Oper. Tom. V. p. 188.* GOTHOFREDVS *ad L. II. D. de Legib.* Ast
GVND-

Gvndlingivs cit. *Diss. §. I. & XXXV.* eundem a Stoicorum ad Epicuri castra transfugam credit. Idque firmiter quidem argumentis, quam, qui purum Epicureum sibi Trebatium fingunt, afferre solent, non tamen adeo gravibus, ut de veritate rei nos satis persuadeant, quod statim videbimus, si prius constabit, Stoicum eum fuisse *Jctum*. Quod, ut probemus, haut est confugiendum ad illam cavillationem Ciceronis, quæ occurrit in *Lib. VII. ad Famil. Epist. XVI.* his verbis concepta: *Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum, id utrum Romano more locutus, bene nummatum te futurum, an, quemadmodum Stoici dicunt, omnes esse liberos, qui coelo & terra frui possunt &c.* Nec enim hæc, ut ut contrarium sibi persuadeat Christiano Otto a Boeckelen de *famil. Jctor. cap. II.* Stoicam Trebatii indolem satis evincunt. Clariora hujus rei in Jure nostro adsunt testimonia, atque *L. XXI. de furt.* diserte loquitur, Trebatium a partibus eorum stetit, qui cum Stoicis paria esse omnia delicta arbitrabantur, ideoque eum cum Ofilio, profurto totius rei, partis contrationem fraudulentam habuisse. Nam, referente Ulpiano in *d. l. & qui aurem alicujus tetigit, inquit Trebatius, totum eum videri tetigisse, proinde & qui dolium aperuit, & inde parvum vini abstulit, non tantum ejus, quod abstulit, verum totius videtur fur esse.* Qua propter de hoc momento, nostrum aliquando Stoicum fuisse, rerum periti aestimatores non dubitabunt. Verum et semper Stoicus fuit Trebatius, nec mihi probabile videtur, ipsi postea Epicuream sectam placuisse. Quod si enim locum, quem Gvndlingivs ex Ciceronis *Lib. VII. Epist. ad Fam. Epist. XII.* pro corroboranda opinione affert, quemque supra in *specimine II § IX.* integrum descripsimus, rite exami-

D

na-

namus, nobis quidem exinde aliud quidpiam exsculpi non posse videtur, præter hoc, quod Tullius Trebatio Epicuri dogmata diffuaserit. Imo probe consideratis omnibus, quæ ad Ciceronis intentionem spectant, verba ipsa ita concepta sunt, ut facile appareat, Tullium cum Trebatio ludere, more quodam inter duos hosce amicos recepto, ut jocos & facetias sibi invicem scriberent. Sic legimus in *Epist. XIV. lib. VII. Sed hæc jocati sumus, & tuo more & nonnihil etiam nostro. Epist. X. lib. VII. Quod si in Britanniam profectus esses, profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisset. Verum tamen videamus licet, sum enim a te invitatus. add. Epist. XI. & XIII. Lib. VII.* Quicquid sit, contextus memoratæ Epistolæ satis indicat, Ciceronem hortari Trebatium, ne a se deficiat, neve Epicurum sequatur. Ergo oportet, eum fecisse cum Cicerone, uti accurate judicat SCHILTER. *Manud. Philos. Moral. cap. I. §. VI.*

§. XIII.

Utriusque
postea Sectæ
Jcti Stoici
fuere, quod
contra Meril-
lium defen-
ditur

Atque hi sunt fere illi Jure Consulti, qui Ciceroni cogniti fuerunt, & qui ejus atque Cæsaris ætate præ reliquis inclaruerunt. Eisdem ipsi vero, sicuti a partibus Stoicorum stabant omnes, ita & eos, quorum nomina Imperatoribus ab Augusto usque ad Antoninum Pium flourerunt, Stoicorum castra non deseruisse, pro certo habeo, quicquid etiam cæteroquin ab invicem dissentiant. Quamvis enim duo ista, quæ Augusti ætas tulit, *pacis decora*, uti TACITO *Lib. III. Annal. sub fin.* vocantur, ANTISTIVS LABEO, & ATTEJVS CAPITO, in duas, si Jurisprudentiam spectes, abierint partes, sectisque diversis originem dederint, quæ perpetuas dissensiones & di-

di-

discordias, præceptorum magis, quam veritatis amore, sæpe numero ultra modum prolatas, aluerunt: siquidem in Labeone nimium libertatis & contradicendi studium, in Capitone vero servile erga Imperantes obsequium reprehendit GELLIVS *Lib. XIII. cap. XII.* TACITVS *Anal. Lib. III. cap. LXXV.* Quo factum est, ut Labeo ejusque discipuli plus libertati populari darent, Capitonis affectu autem, aulæ favorem plerumque captantes, leges ita interpretarentur, ne unius dominatui multum obessent, qua de re videtur OTTONEM in *Ovat. de Stoic. Veter. Jct. Philos.* BOECKELEN de *divers. famil. Jctov.* &, qui hoc argumentum plane exhaustit GOTTFRIDVM MASCOVIUM de *Sectis Sabinianorum & Proculianorum.* Nihilo tamen minus, si animum ad studia diversarum sectarum Philosophica convertimus, citra difficultatem deprehendere licet, Labeonis æque ac Capitonis successores, Sabinianos nimirum et Proculianos, Stoicorum dogmata ad Jurisprudentiam applicasse, atque rivulos, ex Porticu promanantes, in suos quoque hortos derivasse. Quod autem reperiantur, qui, Stoicam Philosophiam maxime ad Labeonis successores, Proculianos, propagatam esse, hosque in illa sapientia majores, quam Sabiniani, delicias quæsisisse, existimant, id auctoritati MERILLII, qui hunc errorem in *Observat. Lib. II. cap. IV.* errat, merito adscribimus. Quæ ipsa tamen opinio, cum sufficientibus non innitatur rationibus, adeo displicuit MASCOVIO, ut *d. tr. cap. VI.* non dubitaret, quin, firmioribus argumentis suffultus, opinionem illam, communem quidem, sed non satis veram, oppugnaret, variisque Jctorum utriusque classis decisionibus in medium prolatis, ostenderet, Proculianos non magis Stoicis favere, quam Sabin-

Sabi-

Sabinianos. Verum, quæ sparsim ille exhibuit, ut nos ipsi in posterum pluribus prosequamur, ab instituto nostro non est prorsus alienum.

Jam enim ad id nos accingamus, necesse est, cujus causa hæc qualia qualia præfati sumus. Ad finem nempe properant prælectiones æstivæ, & felix auspiciam expectant hybernæ. Animi docentium igitur & discantium æque in id sunt intenti, ut, quid cujusque partium sit, strenue expleant. Quocirca & mihi hoc datum intelligo, ut Prælectiones, ad Jurisprudentiam explicandam, illustrandam & amplificandam spectantes, tempestive cum discendi cupidis communicem. Offero autem prælegenda

*Hora VIII. Collegium Institutionale, ad HEINECCII
ELEMENTA vel STRUVII JURISPRUDENTI-
AM FORENSEM.*

*Hora IX. & III. Collegium Pandectarum, DUCE BOEH-
MERO.*

Hora XI. Collegium Juris Canonici, AUCTORE EODEM.

Publice libros terribiles ex Jure Digestorum explicabo. Privatissime denique Practicas & Relatorias Exercitationes cum selecto numero redauspicabor. Quodque reliquum est, Vos, Commilitones Suavissimos, volo rogatos, ut conatibus meis, quod adhuc fecistis, porro faveatis, Vosque persuasos habeatis, me nihil eorum omisurum, quæ ad commoda vestra promovenda pertinere videbuntur. Dab. Ienæ de xxx. Septembr.

clb lccc xli.



Thes. philos. 62.

